

GERMANIA

suorum etiam in dubiis proeliis referunt. scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas, multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

5 Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. nec regi- 7
bus infinita ac libera potestas, et duces exemplo potius
quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant,
admiratione praesunt. ceterum neque animadvertere neque 2
vincire, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum,
10 non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo impe-
rante, quem adesse bellantibus credunt. effigiesque et signa 3
quaedam detracta lucis in proelium ferunt; quodque prae-
cipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec for-
tuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et
15 propinquitates; et in proximo pignora, unde feminarum
ululatus audiri, unde vagitus infantium. hi cuique sanctis- 4
simi testes, hi maximi laudatores: ad matres, ad coniuges
vulnera ferunt; nec illae numerare et exigere plagas pavent,
cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

20 Memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et la- 8
bantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu
pectorum et monstrata comminus captivitate, quam longe
impatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut
efficacius obligentur animi civitatum quibus inter obsides
25 puellae quoque nobiles imperantur. inesse quin etiam 2
sanctum aliquid et providum putant, nec aut consilia earum
aspernantur aut responsa neglegunt. vidimus sub divo 3
Vespasiano Veledam diu apud plerosque numinis loco
habitam; sed et olim Auriniam et complures alias venerati
30 sunt, non adulatione nec tamquam facerent deas.